

J. J. Resen.
Idea boni pastoris.
2. Thes. II.
Disp. I
Hafn., 1652.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

1,-312-4

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01557 6

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

IDEÆ BONI PASTORIS,

Seu

Diſſertationis Theologicæ,

Ex Cap. II. Prioris Epiſtolæ Pauli ad Theſſalonicenſes,

DE LABORE APOSTOLICO EJUS ET SOCIORUM APUD ILLOS:

DISPUTATIO PRIOR,

Continens Ἀ'ρσιν, qvalis ſcil. ille non fuerit

a ve 1. ad 8.

Qvam

D. O. M. A.

In Regiâ Academia Hafnienſi, ad diem XXIIX. April. loco & horis conſvetis

PRÆSIDE

JOHANNE JOHANNIS RESENIO, S. S. Theol. D. & P. P. Patre

Publicè defendendam ſuſcipiet Filius

JOHANNES JOHANNIS RESENIUS.

HAFNIÆ,

Literis MELCHIORIS MARTZANI, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

Chryſoſtomus de Sacerdotio.
Lib. 4.

Sunt Pauli Scripta nobis accommoda, non ſolum ut notha atq; adulterina à nobis dogmata amoliamur, veriſq; ac Germanis muniamus, ſed etiam ad bene beateq; vivendum maximoperè conducentia.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

In nomine Jeſu Chriſti.

THESIS.

I. DIvus Apoſtolus Paulus (qvō nomine origine Latino potiùs, qvàm vel Hebræo vel Græco vocatus videtur ille, qvando ſegregatus fuit ab Eccleſia Antiochena ad docendum Gentes Act. 13. 2. inter qvas primûm præ aliis Sergium Paulum Proconſulem Chriſto lucrifecit Act. 13, 7. utpote qvi prius nomine Saul ſive Sauli ſalutabatur, non modò dum ex Zelo ſine ſcientia perſeqvebatur Eccleſiam Chriſti Act. 7, 58. ut & 9. 2. ſed & poſtqvam mirandum in modum converſus à Domino jam glorificato baptizabatur ab Anania Act. 9, 4. 8. 10. 17. 22. 24. & 11, 25. 30. & 12, 25. & 13, 1, 2.) Capite 2. Epiſtolæ ſuæ prioris ad Theſſalonicenſes, qvæ etiam prima eſt, ratione ordinis proprii ſeu temporis, inter illas, qvas electum illud vas Dei in literas relatas Eccleſiæ reliqvit, diductè deſcribit ſuum & ſociorum apud Theſſalonicenſes Apoſtolicum laborem à v. 1. ad v. 13.

II. Hæc autem deſcriptio non incommodè aut inconvenienter venire poteſt nomine Ideæ boni Paſtoris, qvùm in ea commemorentur, & ad vivum qvaſi repræſententur proprietates, notæ & virtutes veri Doctoris, optimiq; Paſtoris Eccleſiæ.

III. Illæ autem virtutes notari & obſervari heic poſſunt ordine qvindecim: Qvarum prima eſt legitima Vocatio, per qvam ingredi debent ſinceri Miniſtri verbi ad populum Dei ſuæ fidei commiſſum: v. 1. 2 Labor, ut ſcilicet non otientur jam vocati, aut deliciis ſeculi fruantur, ſed laborent aſſiduè v. 1. 3. Crux & dura certamina, qvæ veritatis cauſâ cole-

toleranda cum debita conſtantia: v.2. 4. Prædicatio Evangelii ſine omni corruptela, & impoſtura, cum candore, ſinceritate, ſanctitate & integritate v.3. 5 Fidelitas, qvâ ſimplici ſtudio faciunt ſinguli qvod ſui eſt muneris, tantum ut approbentur Deo, nil curantes hominum favorem, in qvorum gratiam nihil ab officio, ad qvod â Deo vocati & approbati ſunt, faciant alienum: v.4. 6. Ne cuiqvam adulentur, qværentes ab iis vanam gloriam v.5. 7. Ne avaritiæ ſtudeant v.5. 8. Ut abſit ab iis ambitio v. 6. 9. Ut ſe ſubmittant, & de jure ſuo ſubinde etiam aliqvid remittant v 7. 10. Ut Eccleſiam ſuam tenerrimè ament, inſtar matris ſeu nutricis, præbentes ſe erga infirmos lenes & placidos, auditoresq; omni curâ foveant ac promoveant v. 7. 11. Ut toto pectore cupiant conenturq; Auditoribus ſanam doctrinam & veram pietatem impertiri, eosq; in illa qvam plurimum promovere: v.8. 12. Ut ſint parati vitam ipſam pro lege & grege Domini profundere v.8. 13. Nè gravent auditores ſuos, ſed omni ratione ſtudioq; ſcandala caveant v.9. 14. Ut ſtudeant inculpatæ vitæ, qvantum in hac imbecillitate poſſibile eſſe poterit, v.10. & tandem 15. Ut curam habeant ſingulorum auditorum cum paterno affectu, qvi in exhortationibus, conſolationibus, & obteſtationibus adhiberi debet, qvò ita omnes & ſinguli, ambulantes dignè Deo, non tantùm Regni ejus heic in terris & Eccleſia militante, ſed & gloriæ perfectè in cœlis ac Eccleſia triumphante fiant participes v.11. & 12.

IV. De hac ergo Idea boni Paſtoris, qvum ex textu Apoſtoli nobis conſtitutum ſit, binis Diſputationibus, breviter ac ſimpliciter agere, oremus Deum Patrem, velit nobis ad hoc Spiritum ſuum ſanctum largiri, per Jeſum Chriſtum, ſummum & primarium Eccleſiæ ſuæ Paſtorem Amen.

V. Laborem igitur Apoſtolicum impenſum Theſſalonicenſibus à ſe & ſociis deſcripturus Paulus progreditur ab ἄρσει monſtrando qvalis non fuerit, ad θέσιν, docendo qvalis fuerit ille apud illos.

VI. De-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

VI. Determinaturus vero qvalis non fuerit labor ipſius & ſociorum apud Theſſalonicenſes, removet ab illo tum nonnulla in genere, tum qvædam in ſpecie.

VII. In genere negat primò laborem ſuum & ſociorum apud ipſos fuiſſe inanem ſeu vacuum, provocans etiam ad proprium ipſorum teſtimonium ac notitiam v.1. tali verborum formulâ:

CAPITIS SECUNDI Verſ.1.

Ἀυτοὶ γὰρ οἴδατε, ἀδελφοὶ, τὴν εἴσοδον ἡμῶν τὴν πρὸς ὑμᾶς, ὅτι οὐ κενὴ γέγονεν.

VIII. Heic initiò capturus benevolentiam Theſſalonicenſium Apoſtolus, Theſſalonicenſes vocat Fratres, non ratione naturæ, qvaſi nati fuiſſent iisdem parentibus ut Gen. 4.v.2, &c. Matt.1,2. &c. Nec cognationis & conſangvinitatis, ut Gen.13.v.8. Matt.12,46. Nec ſtirpis & gentis ut Exod. 2,11. Act.2.v.29. Nec communis officii ut Theſſ.3,2. Nec jure naturæ, humanitatis, patriæ, vicinitatis, ut Gen.19,7. Matt.5,22. Sed reſpectu affectus & Religionis, dum eos impenſè amabat, propterea qvòd fidem in Jeſum Chriſtum ex Euangelii ejus prædicatione & annunciatione promptè recipiſſent: Unde etiam in Apoſtolica & primitiva Eccleſia Fratres omnes ſalutabantur Chriſtiani, qvi Chriſtum profitebantur Joh 21,23. Act.14,2. 1.Cor.6,6.

IX. Et certè nulla poteſt eſſe arctior fraternitas, qvâm qvæ ex ſimilitudine fidei & Religionis oritur, cùm aliàs naturalium etiam fratrum gratia rara eſſe ſoleat, id qvod exemplo Caini & Abelis Gen.4. ac Eſavi & Jacobi Gen.32. aliorumq. eſt manifeſtum.

X. Chriſtianorum igitur eſt, ut ſe invicem pro fratribus & ſororibus agnoſcant, non tantùm qvia unum Patrem habent in cœlis, Malach.2,10. & unam matrem in terra, veram ſc. Apoſtolicam Eccleſiam Cantic.3,4. & 6.8. & Cap. 8.v.1.2.5. Gal.4,26. Verum etiam, qvia Chriſtus Jeſus propter humanam, qvam nobiſcum habet communem, aſſumptam naturam, credentes in ſe ſuos appellare fratres dignatur, Pſ. 22,23. Joh.20,17. Heb.2,17. & nos omnes ſub uno ſpiritu unum ſumus.

XI. Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

XI. Et hic præcipuus humanitatis titulus eſt, qvâ Chriſtiani invicem ſe Fratres & Sorores nominant, hoc ipſo fatentes & profitentes ſe proximo non labialem tantum & ſuperficialem, ſed fraternam planè debere dilectionem, qvemadmodum & Chriſtus nos ut fratres ſuos dilexit.

XII. Multi verò ſunt, qvi hoc fraternitatis titulo abutuntur, qvos falſos propterea fratres vocat Apoſtolus 2. Cor. 11. v. 26. qvales ſunt Monachi & Moniales, qvi ſoli Fratres & Sorores audire geſtiunt, qvia ſub uno patre, Papa ſc. Romano, vivunt: Anabaptiſtæ, qvi ſub dulci fratrum nomine leoninam & vulpinam ſuam aſtutiam occultant, abducentes homines à vera fraternitate, qvàm habent in Chriſto: Seditioſi, qvi fœdera fraterna pangunt, ſeq; conjurant, ad prædandum & rapiendum: Cum Hypocritis unà, qvi falſorum etiam fratrum nomine veniunt Paulo Gal. 2, 4. utpote qvi blando fratrum nomine inſidias aliis ſtruunt, habentes mel in ore ſed fel in corde, cum Joab Abnerum interficiente 2. Sam. 3, 26. & Amaſam, 2. Sam. 20, 9. Qvibus annumerari poſſunt haud immeritò illi, qvi, cum res proximi florent, aureos ſciunt polliceri montes, tempore verò neceſſitatis illius res nihil curant, de qvibus loqvitur Jacobus cap. 2, 15.

XIII. Hiſce omnibus & ſimilibus Fratribus opponuntur Fratres in Chriſto, qvi ſunt verè Fratres roſeæ crucis, credentes ſc. in Chriſtum crucifixum, conditi ad bona opera, exercentes fidem mutuis officiis, præſertim erga fratres & ſorores indigentes. In eo enim agnoſcent omnes, inqvit Chriſtus, qvòd Diſcipuli, (& ſic etiam fratres) mei ſitis, ſi dilectionem erga vos mutuam habueritis Joh. 13, 32. & tales Fratres ac Sorores ſunt hæredes Dei Patris cœleſtis, & cohæredes Fratris Chriſti θεανθρώπου ad vitam æternam Rom. 8. verſ. 16. 17.

XIV. Poſtqvam Paulus ita captaſſet benevolentiam Theſſalonicenſium, provocat porrò, non ut ſuprà Cap. 1, 9. qvò particula γὰρ reſpicit, ad aliorum, ſed ad proprium illorum, perinde ut capis 1. v. 5. teſtimonium, de ingreſſu ſuo

ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

ad illos, utpote qvi omnium optimè ſciebant, non tanqvam auriti tantum, ſed oculati etiam teſtes, qvâ occaſione ad ipſos venerat, & qvàm felici ſucceſſu ibidem laboraverat.

XV. Utitur autem phraſi, de Apoſtolatu ſuo loqvens, ſcripturæ propriâ, in qva proverbialiter ingredi dicuntur, qvi vel Eccleſiam, vel Remp. adminiſtrant, ut Num. 4,19. & 27.17. Deut. 31. v. 2. 1. Sam. 18. v. 13. 2. Paral. 1. v. 10. Act. 1,21.

XVI. Per εἴσοδον igitur non intelligit ſimplicem ſuum & corporalem in urbem Theſſalonicenſium ingreſſum, ſed omne illud qvod ingrediens & manens in illa urbe ab ipſo factum eſt in Miniſterio, ipſumq; adeò ejus apud illos miniſterium, Euangelii ſc. prædicationem & qvæ prædicationi huic in vita & commoratione apud illos fuerunt conjuncta.

XVII. Hunc ingreſſum ſeu introitum & adventum ſuum ſociorumq. ad illos, ſeu Miniſterium & prædicationem Euangelii apud illos, dicit, non fuiſſe κενὴν, inanem, vacuum aut vanum, tum qvòd non fuerit ex humano arbitrio & propria voluntate, ſine ſingulari Dei voluntate & vocatione, cum contrarium inveniatur Act. 16,9 10. tum qvòd non caruerit difficultatibus ſuis: tum qvod prædicatio non fuerit conjuncta cum vana pompa & oſtentatione, aut compoſita ex fabulis, mendaciis & nugis: tum deniq; qvod non fuerit deſtituta ſuis fructibus, ſed multiplices fructus attulerit Theſſalonicenſibus, id qvod illi etiam grati agnoverunt; ſeu qvod non fuerit ille ingreſſus vacuus veritate, ſancto affectu, ſanctis operibus, manifeſtisq; probationibus; Ut ita heic in genere proponat, qvod per multas partes ſubjungendo explicat. Conferantur loca 1. Cor. 15,58. & Phil. 2,16. ubi vox κενὸς etiam occurrit.

XIIX. Dabunt igitur, exemplo Pauli, ſinceri verbi Dei Miniſtri operam, ut ſuus ad Eccleſias, qvibus qviſq; præficitur, adventus & introitus, totusq; prædicationis curſus & labor, non ſit inanis, vacuus & irritus: id qvod conſeqventur, ſi introitus iſte fiat per verum oſtium legitimæ vocationis, & ſanæ incorruptæq; doctrinæ; ſi non in officio otioſi

& ſe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

& tepidi pavidive, ſed laborioſi, fervidi & intrepidi fuerint, non ſubterfugientes labores, odia & periculâ; Si verbum Dei unicè, ſine pompa & oſtentatione, non verò nugas & alias res temerarias, qvæ magis delectant, qvàm ædificant, propoſuerint: Si Deum pro incremento laborum ſedulò & ſeriò precati fuerint: Si ſancto inſuper exemplo comprobaverint & exornaverint doctrinam Servatoris noſtri Dei, adeoq; miniſterium ſuum adminiſtraverint ad monitum Pauli 2. Tim. 4. & Tit. 2.

XIX. Hæc ſi curaverint & fecerint verbi Dei Miniſtri, non eſt qvòd dubitent, qvin Spiritus ſanctus per illorum miniſterium futurus ſit efficax, exitando ſc. in non reſiſtentium auditorum cordibus veram fidem in Chriſtum, cum vero pietatis ſtudio conjunctam; qvò ita illorum labor non fiat inanis, ſed maxime fructuoſus in Domino, juxta promiſſiones fallere neſcias Eſ. 55, 11. & 65. v. 23. Matt. 28. v. 20. & Joh. 25. v. 16.

XX. Magnum autem adfert gaudium fidelibus Eccleſiæ Miniſtris, qvum animadvertuut ingreſſum ſuum non fuiſſe inanem, hoc eſt, ſe laborandi occaſionem habuiſſe præclaram, oſtiumq; amplum Euangelio ſuo apertum eſſe, & labores ſuos non caruiſſe fructu, ſicut viciſſim vix majorem ſentiunt illi dolorem, qvàm qvum labores vocationis impediuntur aut ſine fructu ſingulari fiunt, exemplo Eliæ 1. Reg. 19, 4. & Chriſti Matt. 6, 5.

XXI. Qvemadmodum enim mulier, feliciter enixa infantem, non meminit doloris partus præ gaudio, qvod homo in mundum natus ſit: viciſſim autem ingeminantur dolores, qvum pro homine monſtrum inſperatum prodiiſſe videt; ita omnis labor miniſterii facilis eſt, & absq; dolore, ſi Eccleſiæ utilis exiſtit, & ſucceſſu ſuo non caret: plenus verò, ex adverſa parte, eſt metu & moleſtiis, ſi ob auditorum negligentiam & malitiam nihil proficitur, teſte Paulo Gal. 4. v. 11.

XXII. Amplificaturus verò Apoſtolus hanc ſuam ἄρσιν

pri-

primam generalem, qvòd ſc. ingreſſus ejus apud illos non fuerit inanis, aſſerit ſe non perterritum paſſionibus & contumeliis, qvibus afficiebatur apud Philippenſes, impterterritum ſe geſſiſſe in Domino, utut non ſine certamine apud Theſſalonicenſes v.2. in talia prorumpens verba: *Verſ.2.*

Ἀλλὰ καὶ προπαθόντες, καὶ ὑβρεισθέντες, καθὼς οἴδατε ἐν Φιλίπποις, ἐπαῤῥισιασάμεθα ἐν τῷ Θεῷ ἡμῶν, λαλῆσαι πρὸς ὑμᾶς τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ ἐν πολλῷ ἀγῶνι.

XXIII. Heic tacitus præteriens Apoſtolus alias ſuas perſecutiones, adverſitates & contumelias, qvas in compendium qvaſi contraxit 2.Cor.11. v.23.24.25.26.27, mentionem tantùm injicit in ſpecie illarum paſſionum & contumeliarum, qvæ illi cum ſociis propter Euangelii prædicationem, nuper acciderunt, tanqvam illas, qvas in recenti memoria adhuc habebant Theſſalonicenſes.

XXIV. Qvæ autem illæ fuerint, docet liber Actorum Apoſtolicorum C.16 v.16.& ſeq. ubi narratur, qvomodo Paulus, eò qvod Spiritum Pythonis ex ancilla, qvæ Dominis ſuis magnum lucrum faciebat, ejeciſſet, ab illis, ægrè ferentibus ſibi bolum iſtum è faucibus ereptum, unà cum Sylvano tractus fuerit in forum ad Magiſtratum, ubi propter Euangelii prædicationem virgis cæſus, & multis plagis affectus, in carcerem compactus eſt.

XXV. Tantum verò abeſt, hiſce, qvæ ante, prius & prior paſſus erat, injuriis graviſſimis & contumeliis, petulanter, protervè & inſolenter illatis (qvæ eſt emphaſis vocis ὕβρις) fractus fuerit conſtantiſſimus Paulus, ut potiùs, fretus Dei ſui ope, qvi eum mirabiliter eâdem nocte, per terræ motum, concuſſo carcere & fractis januarum repagulis, liberaverat, ac fiduciam ſuam collocans in eundem omnipotentem Deum ſuum, contrà audentior iverit, magnaq; cum παῤῥησίᾳ & libertate in agendo (qvo ſenſu heic & paſſim alibi apud Apoſtolum hæc vox generaliter occurrit, utut aliàs propriè ſignificet libertatem dicendi, deducta ſcil. à πᾶν & ῥῆσις dictum, ſententia, qvâ qvis omne id dicit, qvod

ad rem pertinet,nihil veritus offenſam illorum,qvibuſcum loqvitur)prædicaverit TheſſalonicenſibusEuangeliũ cujus autor &objectum eſt ipſeDeus,idq; & ibi in multo agone ſeu certamine,non qvidem ludicro per actiones fabulæ in Scena, ſed bellico qvaſi, & per actiones forenſes,multis ſpectantibus,in loco etiam conſpieuo ſeuTemplo,juxta varias, qvas admittit vocula ἀγῶν ſignificationes.

XXVI. Vulgatus Interpres heic vertit,in multa ſolicitudine,legens,ut videtur Cornelio à Lapide, pro ἀγῶν, ἀγωνία, qvæ eſt extrema ſolicitudo, qvalis eſt eorum, qvi cum morte conflictantur.

XXVII. Reſpicit verò procul dubio hoc certaminis nomine Paulus ad concertationem ſuam cum incredulis Judæis in SynagogaTheſſalonicenſium,qvam,non ſine magno tumultu,adverſus ipſum concitaverunt iidem, deſcriptam Act.17 v.1 ſeq,

XXIIX. Et ſic tribuit ſibi & ſociis hiſce verbis duas virtutes, παῤῥησίαν,ſeu libertatem agendi,pariter & loqvendi, ac fortitudinem in ſuſtinendis certaminibus & adverſitatibus, qvæ utraq; virtus argumentum eſt animi ſibi benè conſcii, & hominis bonam cauſam agentis : Confirmans vel hac etiam ratione doctrinæ ſuæ veritatem, & hortans ſerio Theſſalonicenſes ad conſtanter in fide acceptæ doctrinæ perſeverandum.

XXIX. Intrepidè igitur in mediis periculis euangelizabunt ſinceri verbi Dei Miniſtri, probè ſcientes perpetuum certamen prædicatoribus Euangelii à Sathana, Hæreticis, Philoſophis, Tyrannis, Magiſtratibus,ſicut & FalſisFratribus aliisq; ſubeundum eſſe, per qvos ſi doctrinam labefactare non poteſt Sathan, calumniis tandem docentium famam denigrare ſtudet.

XXX. Heic non ſunt deſerendæ haſtæ, nec propter aliqvos malitioſos cum delicatulis deſerenda Eccleſia, novaq; qværenda Parochia, qvum ubiq; odium mundi & cribrationes Sathanæ inveniantur; Qvin potius ad exemplum

plum Pauli ſe conformare debent tales, qvi magno cum certamine Euangelium prædicavit, ac injurias, contumelias, vincula, virgas, mortem deniq; ipſam perpeſſus, non tamen de officio ſuo qvicqvam remiſit; Sicuti de ſeipſo ſcribit 2. Cor.4.8. & 6. v.8.9. &c. Ad qvod faciendum etiam hortatur Timotheum 2. Tim.2.v.3.4, erigens & confirmans ſe coronâ illâ gloriæ ſibi repoſitâ in cœlis 2 Tim.4.v.7.8.

XXXI. Sed vel maximè hac in parte Miniſtris verbi Dei præluxit ipſe Chriſtus, qvi opprobrium ſuſtinuit hoſtium ſuorum; Qvo etiam ſuo exemplo Apoſtolos, aliosq; illorum ſucceſſores ſinceros ſolatus eſt Matt.10,25. Joh.15,20. Qvi verò hic patiuntur cum illo, cum illo etiam glorificabuntur, conformes, vel hac etiam in parte, futuri imagini ejus, ac participes, per afflictiones patientiæ, regni ipſius.

XXXII. Huic primæ ἄρσει generali ſubjungitur altera, qvâ removet Apoſtolus à ſuo ſociorumq; ſuorum labore Apoſtolico omnem errorem ſeu imposturam, immunditiem & dolum hiſce verbis. *Verſ.3.*

Ἡ γὰρ παράκλησις ἡμῶν οὐκ ἐκ πλάνης, οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας, οὔτε ἐν δόλῳ.

XXIII. Voce παρακλήσεως comprehendit heic Apoſtolus totam ſuam doctrinam ſeu prædicationem Euangelicam, qvæ potiſſimum conſolatione efficaci, & commonefactione neceſſaria, qvæ duo vocula illa in ſpecie notat, non verò imperio & coäctione cum Pontificiis, conſtabat: Totiusq; laboris ſui Apoſtolici finem, qvi fuit evocatio Theſſalonicenſium ab Ethniciſmo & Idolis, & accerſio ſeu advocatio ad Chriſtianiſmum, & Dei Chriſtiq; ejus verum cultum, juxta ſuperiora Cap.1,9; Qvæ etiam duo eadem vox ſignificat. Id qvod fieri non poteſt absq; devotis ad Deum fuſis precibus, pro Spiritus Sancti coöperatione efficaci, à qva ſignificatione eadem vox neq; abhorret, vel aliena eſt.

XXXIV. Ab hac ſua παρακλήσει removet tria, nempe primò πλάνην, vagum errorem & errationem vagantem, ſeu imposturam & ſeductionem voluntariam, ſecundò ἀκα-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

θαρσίαν, ſordes, immundiciem, ſpurcitiam; & tertiò δόλον dolum, non ſine Ellipſi verbi γέγονε ſeu ἐγένετο: Qvibus tribus vocabulis Piſcator ſtatuit, qvaſi per copiam verborum, unam eandemq; rem ſignificari, qvod ſcil. ejus prædicatio fuerit ſincera.

XXXV. Alii has voces ad prædicantes applicant hôc modô: Exhortatio & prædicatio noſtra non fuit ex errore, non tam decepti, qvâm decipientis ſeu decipere volentis, hoc eſt, ex impoſtura; qvaſi diceret, non fuimus impoſtores, non ex imponendi ſtudio vobis prædicavimus, id qvod patet ex noſtris periculis capitis, qvæ apud vos prædicantes ſuſtinuimus, qvum impoſtores non ſoleant ſe in pericula conjicere, ſed ſua potiùs lucra ſuasq; delicias aucupari: Neq; ex immundicie, id eſt, non prædicavimus ex animo immundiciarum & libidinum avido, ut ad eas auditores pelliceremus: Neq; cum dolo, ita ut doloſa fuerit noſtra prædicatio, conjuncta ſcil. cum hypocriſi, qvaſi noſtro lucro & honori prætexentes Chriſtum.

XXXVI. Qvidam verò applicant hæc ad doctrinam, ſumentes ἐκ vel ἐξ pro περὶ, ex ſcil. pro de, hoc ſenſu: Non prædicavimus vobis falſa dogmata, uti faciunt Philoſophi, Gentes, Phariſæi, aliiq; qvi confundunt Legem cum Euangelio, metuentes ſibi à poteſtate & invidia Judæorum ut 2. Cor. 11. v. 13. Gal. 5, 12. Neq; ex immundicia, ſeu de immundiciis, docentes vos immunda carmina magia, & opera Gentilium idololatrica, aliaq; qvalia docent Pagani & Hæretici Simoniaci: Neq; cum doloſa hypocriſi ad ſeditionem inſidioſam cum Theuda Act. 5, 26. Vel etiam hoc ſenſu, ut per πλάνην intelligatur ipſa doctrina erronea ad decipiendum compoſita: Per ἀκαθαρσίαν ſpiritualis immundicies, qva conſpurcatur anima per venenatam doctrinam, qvalis immundicies eſt ſcortum Babylonicum, cum qvo ſcortati ſunt Reges terræ, Apoc. 18. 9, & Jeſabelis, qvæ ſe dixit Prophetiſſam, & ſeduxit ſervos Domini ad fornicandum Apoc. 2, 20. Per δόλον deniq; notetur hypocriſis & verſutia in corrupti,

rupti,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

ruptione doctrinæ, ubi PſeudoDoctores contra conſcientiam perſvadent populo, qvæ ſciunt nec utilia, nec neceſſaria eſſe: Qvo ſenſu Elimas Magus qværens avertere Proconſulem à fide, plenus omni dolò & verſutiâ appellatur, qvia invertebat vias Domini rectas Actor. 13, 10.

XXXVII. Cajetanus hoc modo has voces explicat: Noſtra adhortatio non fuit de errore, & hoc qvoad intellectum, nullum ſiqvidem errorem continet. Neq; de immundicia, & hoc qvoad affectum, nullam ſiqvidem immundiciam cujuscunq; peccati continet: Neq; in dolo, non ſolùm vera & munda fuit exhortatio noſtra in ſe ipſa, ſed etiam ex parte noſtri nullus fuit dolus, ut alio tenderemus, qvàm ad ipſam veritatem & mundiciem.

XXXIIX. Arezius ſtatuit Paulum per duas priores voces notare cauſas impellentes hoc ſenſu: Totam doctrinam meam non ex errore, nullo ſcil. erroris Spiritu inductus, ſed Deo vocante, præter qvem nullum ejus agnoſco auctorem, propoſui: Nec ex impuritate, vitæ ſcil. libidine & voluptatum deſiderio cum impiis Doctoribus, qvi in gratiam voluptatis corporis multa comminiſcuntur falſa, eam urſi: Tertia verò voce modum docendi exprimere, qvaſi diceret, non ſum uſus Strophis & Sophiſmatis.

XXXIX. Calvinus haſce tres voces ita diſtingvit, ut Impoſtura ſeu error ad ſubſtantiam doctrinæ, Immundicies ad animi affectum, Dolus ad modum agendi, referatur; Hoc modo, ut primâ voce neget Apoſtolus Theſſalonicenſes deluſos fuiſſe, aut fallaciis circumventos, dum genus doctrinæ amplexi ſunt à ſe traditum, utpote qvi prædicavit fideliter, non verò more impoſtorum, in ſuis concionibus adulterinas merces pro veris ſuppoſuit, ſcorias pro ipſis metallis ſubſtituit, commenta humana pro Dei placitis ſubrogavit: Secundâ verò ſuam integritatem prædicet, qvòd ſcil. nullâ impuritatis cupiditate, cum aliis impuris, ſub prætextu verbi Domini affectibus ſuis indulgentibus, omnemq; immundiciem qværentibus, ſed ſincero tantùm affectu,

tan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

tanqvam mundus, inductus ad illos venerat : Tertiâ autem aſſerat, ſe nihil fraudulenter aut malitioſè egiſſe, aut doloſum fuiſſe, tanqvam qvi rebus commoditatibusq; ſuis diſſimulatis ſub Euangelii prætextu illis inſerviit, ſed potiùs ſimplicitatem exhibuit Chriſti miniſtro dignam.

XL. Qvanqvam verò expoſitiones hæ omnes & ſingulæ, in qvibuſdam qvidem convenientes, in qvibuſdam verò, ſed amice, absq; omni contradictione diſſentientes nihil habeant, qvod Analogiæ fidei contrarietur; Simpliciſſima tamen & contextui ac ſcopo Apoſtoli maximè accommoda videtur illa, qvod Paulus hiſce vocibus à ſuis & ſociorum laboribus Apoſtolicis removeat errorem & impoſturam in doctrina, impuritatem & immundiciem in vita & ſermone, ac dolum ſeu hypocriſin in converſatione & reliqvis ſuis actionibus: Qvaſi diceret, non ex errore humano, nimium tribuens rationi, aut urgens illa qvæ ſunt mandata hominum, vel confundens Legem cum Evangelio, qvod faciunt PſeudoDoctores & Apoſtoli, ſed edoctus in tertio cœlo à Deo ipſo, ſincerè Chriſtum docui, vobis auditoribus meis minimè imponens; Nec ex impuritate & immundiciâ profecta eſt mea doctrina, ſed vitam cum doctrinâ convenientem egi, vitans omnem laſciviam & cupiditatem carnis, cum obſcænis qvibuſvis ſermonibus, decenter taxans talia, & de vita ac moribus Chriſtianis dignis doctrinam fideliter urgens: Animum præterea ad doctrinam attuli ſincerum, nec illorum imitatus fui mores, qvi ſincerè qvidem Euangelium proponunt, ſed eo nomine, ut ſibi divitias & proprium nomen cum honore qværant, ſed prædicando ad Dei gloriam, Euangelii propagationem & Auditorum ſalutem unicè, & id qvidem candidè, & ſine dolo malo reſpexi.

XLI. Et hæc ſunt tria illa, qvæ pro viribus cavere debent in ſuo officio ſinceri verbi Dei Miniſtri; Ut ſc. illorum doctrina, qvam proponunt Auditoribus ſuis, careat errore, nec ſibi ullius erroris conſcii ſint in fide: Ut illorum vita, qvantum qvidem in hac infirmitate fieri poteſt, careat im-

pu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

mundicie, nec parcant ſceleratis, ſed eos decenter reprehendant, ne fiant participes ſcelerum illorum; Ut deniq; in converſatione careant dolo, nec hæreſin ſuam occultent, lucri & honoris cauſâ, ore qvidem profitentes fidem ac loqventes cum multis, ne videantur à qvoqvam rectè ſentiente diſſentire, ſed ſentientes cum paucis.

XLII. Amplificaturus verò Apoſtolus & hanc ſuam ἄρσιν ſecundam generalem, ac probaturus laborem ſuum & ſociorum Apoſtolicum caruiſſe errore, immundicie & dolo, provocat ad Divinam ſuam vocationem & probationem, ad qvam reſpiciens prædicabat Euangelium non hominibus ſed Deo καρδιογνώςῃ placere volens, hiſce verbis.

Ἀλλὰ καθὼς δεδοκιμάσμεθα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πιςευθῆναι τὸ Εὐαγγέλιον, οὕτω λαλοῦμεν, οὐχ ὡς ἀνθρώποις ἀρέσκοντες, ἀλλὰ τῷ Θεῷ, τῷ δοκιμάζοντι τὰς καρδίας ἡμῶν. *Verſ. 4.*

XLIII. Paulus dicit heic ſe & ſocios δεδοκιμάσμεθα, exploratos, probatos, examinatos & approbatos, probos & idoneos judicatos & per conſeqvens electos eſſe à Deo, qvæ eſt Emphaſis verbi δοκιμάζω, qvibus & qvorum fidei committeretur ſeu crederetur Euangelium, ejusq; prædicario. Eſt enim Græca Phraſis, πιςεύομαι τοῦτο, qvaſi diceretur, credor hanc rem, vel creditur mihi hæc res, qva phraſi utitur etiam Apoſtolus 1. Tim. 1, 11. & Tit. 1. v. 3.

XLIV. Probatus autem eſt Apoſtolus ipſe inprimis à Deo bifariam, primùm qvum ad Apoſtolatum vocaretur, ubi vas electum Dei appellatur Act. 9, 15. Deinde, cum accepto Spiritu Sancto, & repletus ſapientiâ, fidelis & idoneus Eccleſiæ Doctor repertus eſt, de qva ſua probatione, loqvitur 1. Cor. 4, 4. Atq; hinc non gloriatur Paulus ſe probatum fuiſſe, qvalis à ſe ipſo fuerit, propriam jactans naturam aut virtutes, ſed totum id, qvod idoneus eſt, in ſolidum aſſcribit Deo & gratiæ ipſius, qvi ſolus idoneos Miniſtros, non invenit, ſed facit, 1. Cor. 15, 10. & 2. Cor 3. v. 5. 6.

XLV. Sicut autem probatus fuit Paulus à Deo, inventusq;, ex gratiâ ipſius,, fidelis, integer, & ſincerus, ac propter

ea

ea approbatus ac ſelectus ad prædicandum Euangelium Rom.1,1. Ita etiam loqvebatur ſeu profitebatur illud absq; errore, immundicie ac dolo, qvæ omnia & ſingula divina probatio & approbatio ad tale officium excludit: Ut propterea nullam juſtam habuerint Theſſalonicenſes cauſam dubitandi de illius miniſterio & doctrina, qvin potiùs talis ejus vocatio, ad perſeverantiam in doctrina recepta, animum illis addere debebat vel maximè.

XLVI. Et inde dicit ſe non docuiſſe Euangelium, tanqvam hominibus qvi fallunt & falluntur, placere ſtudens, qværens ſcil. illorum gratiam ac favorem, cum qvæſtu ſordido, proptereaq; ad ipſorum affectus & cupiditates doctrinam ſuam accommodans & inflectens Gal.1 v.10. Sed unicè & principe ſcopo qværens, ut Deo, cujus miniſter erat, placeret ejus prædicatio, qvi non fallit, cũ ſemper ſibi conſtet, & non mutetur Malach.3.v.6. Nec fallitur, utpote qvi probat corda hominum, & cui non latent vel intimæ illorum cogitationes 1.Sam.16.v.7. 2.Paral 28,9. Pſal.7,10.& 26.2. & 139.v.23.Jerem.11,20.& Cap 20,12.

XLVII. Videtur autem Paulus hiſce verbis qvinq; de ſe affirmare; Primum Deum videntem ſincerum, pium & candidum fore eum Doctorem, ipſi docendi miniſterium commiſiſſe, in qvo etiam ſe Apoſtolus ita geſſit, ut ejus prædicationem Deus approbaverit; Secundum, ſe ſinceram à Deo Euangelii doctrinam, nullis humanis vel traditionibus, vel opinionibus adulteratam, accepiſſe; Tertium, ſe ſincerè, purè & candidè Euangelium, prout illud à Deo acceperat, prædicaſſe; Qvartum ſe doctrinam ſuam non eò accommodaſſe, ut hominum captaret favorem, illorum vitia tegendo & connivendo, vel in ipſorum gratiam ſuam doctrinam corrumpendo; Qvintum, ſe illo in docendo animo verſatum fuiſſe, ut Deo, qvem nihil latet, ſe factaq; ſua approbaret.

XLIIX. Qvi ergo verus erit miniſter Euangelii, debet omnino vocari, examinari & approbari à Deo, ſi non immediatè & extraordinariè cum Paulo, cœterisq; *Prophetis,*

& Apo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

& Apoſtolis, aliisq́;, at tamen mediatè & ordinariè, fuſis prius ad Deum devotis precibus, per homines, penes qvos jam eſt vocandi poteſtas, & ab illis, qvibus tale examen & probatio legitimè eſt concreditum.

XLIX. Talis enim ordinaria vocatio omninò eſt neceſſaria, nè videatur qvis velle ſibi ipſi ſumere tantum honorem, contra interdictum Spiritus Sancti Heb.5,4. Atq; ita venire nomine currentis Jer.23,21, neutiqvam idoneus ad prædicandum Rom.10,15. Qvalis vocatio mediata & legitima, verè etiam divina eſt, cum hoc modo vocati, à Deo dicantur electi & vocati, Num.3.v.11. 2. Paral.29,11, à Spiritu Sancto gregi præfecti Act.20,28, dati à Chriſto Eccleſiæ, Eph.4,11 12, ac Legatione pro Deo fungi 2.Cor.5,20.

L. Nec minus neceſſarium tale examen talisq́; approbatio eſt, monente Paulo 1.Tim.3.v.10. & Cap.5,22. & 2.Tim. 2,2. nè ſc. minùs idonei, qvi in ſana doctrina non ſunt ſatis inſtructi & fundati, in vita minùs integri, donisq́; propterea deſtituti neceſſariis, applauſumq; hominum qvàm Dei gloriam magis qværentes, ad tam divinum admittantur officium.

LI. In eo præterea occupati eſſe debent ita vocati & approbati verbi Dei Miniſtri, ut nihil præter, multò minus contra verbum Dei dicant vel doceant, utpotè qvod ſufficientiſſima ipſis Cynoſura eſt, ad qvam doctrinam, & vitam ſuam pariter & Auditorum dirigere & inſtituere debent, ad exemplum Pauli, qvi ſicut probatus erat ita loqvebatur, tradens illud qvod acceperat à Domino, 1.Cor.11,23. Anathematizans verò illos, qvi contrarium docere ſibi præſumebant Gal.1,9.

LII. Finis deniq; omnium actionum, ut aliorum 1.Cor. 10,31. Ita inprimis Verbi Dei Miniſtrorum debet unicè eſſe gloria Dei Joh.7,18, cui etiam placere ſtudebunt: qvod qvi faciunt, minimè captant auram popularem, & gratiam hominum, ſed officium faciunt in timore Domini, judicium de ſuis laboribus commendantes Deo & Eccleſiæ, con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

tenti, licet non adeò honorentur, ſi modò nomen Domini per ipſorum miniſterium glorificetur.

LIII. Interea tamen non ita ſunt oppoſita, placere Deo, & placere hominibus, ut qvis datâ operâ mundi odia in officio, & invidiam in ſe conferat; Sed potiùs annitendum eſt, ut qvoad ejus fieri poteſt, omnibus placeat, & cum omnibus fraternitatem colat, qvantum Doctrina, Fides & Conſcientia admittit. Unde Paulus præcipit Rom. 15, 2 Unusqviſq; placeat proximo ad ædificationem: & hinc, ſi fieri poteſt, ut pariter Deo & hominibus placeamus, placendum eſt hominibus, ſin autem aliter hominibus placere non poſſumus, niſi Deo diſplicemus, utiq; Deo magis qvam hominibus placere debemus.

LIV. Qvum igitur diverſa ſint hominum genera, ita ut alii ſint boni, alii mali, donum Dei ſingulare eſt placere aliqvem poſſe bonis, diſplicere verò malis, ſumma laus eſt. Qvibus placet Chriſtus, illis ut placeat, ſtudere debet verbi Dei miniſter in Chriſto, qvi verò veram doctrinam ſuis affectibus poſthaberi volunt, illis mos neutiqvam eſt gerendus.

LV. Sed & qvi hominibus hoc modo placere ſtudet, ut eos ad Deum, Deiq; verum cultum erudiat, non tam hominibus, qvàm Deo placere ſtudet, exemplo Pauli 1. Cor. 9, 22, qvi omnibus omnia factus eſt, ut Chriſto omnes lucrifaceret: & Chriſti imprimis, qvi cum Publicanis & peccatoribus hac intentione converſabatur Matt. 9, 10, 11.

LVI. His ita generaliter à ſuo ſociorumq; labore Apoſtolico per ἄρσιν remotis, pergit porrò Apoſtolus in ſpecie liberare illum à qvatuor vitiis aliis, ex qvibus duo removet, ſuſpicionem ſcil. aſſentationis & avaritiæ, verſu qvinto, amplificans primam remotionem à propria illorum notitia, ſecundam verò à Divino teſtimonio, in talia prorumpens verba.

Ὄυτε

Οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν, καθὼς οἴ- Verſ.5.
δατε, οὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας, (Θεὸς μάρτυς.)

LVII. Λόγον κολακείας ſeu ſermonem aſſentationis, per Hebraiſmum ponit Apoſtolus pro λόγῳ κολακικῷ, ſeu κολακευτικῷ, ſermone ſc. aſſentatorio : Per πρόφασιν verò πλεονεξίας intelligit occaſionem ſeu anſam fraudationis, ſeu plus habendi aviditatem inexhauſtam; Ubi repetendum verbum ἐγενήθημεν, ſicut & ſupplenda Ellipſis verbi ἐστὶ ad illa, Θεὸς μάρτυς, qvâ formulâ aſſeverandi vel jurandi utitur præterea Rom.1,9. & Phil.1,8.

LIIX. Sumitur autem heic perinde ut ſuprà etiam Cap. 1. v 5.6. & infrà v 7.8.10. paſſimq; alibi Græcum γίνεσθαι laxè, ut reſpondeat Hebræo הָיָה fuit; qvod verbum conſtructum cum Dativo interveniente Præpoſitione πρὸς, ἐν vel περὶ, ſignificat, verſari in aliqva re, cum ἀπὸ verò contrariam admittit ſignificationem, deſiiſſe ſc. aliqvē occupatum eſſe in aliqvo negotio Et hinc hæc verba, οὔτε ἐγενήθημεν ἐν λόγῳ κολακείας, verti debent Latinè, nō fuimus verſati, vel occupati in ſermone ſeu oratione adulatorio vel aſſentatorio, nō incubuimus in ſermonē adulatorium, vel, ut Syrus vertit, non uſi ſumus ſermone adulatorio, id eſt, nemini ſumus adulati.

LIX. Πρόφασις verò, qvanqvàm primò & primariò ſignificet cauſam vel occaſionem manifeſtam, apertam & veram, utplurimum tamen accipitur pro ficta cauſa, vel ſpecioſa, qvâ qvis factum ſuū excuſare conatur, redditurq; per prætextum, colorem, obtentum, velamen vel velamentum, qvod facto alicui obtenditur, prætenditur aut prætexitur, vel per occaſionem & anſam : Πλεονεξία autem, deducta à πλεονέκτω, qvod ſignificat fraudo, ut ſolent illi qvi plus habendi, qvàm alii ſunt cupidi, reddi poteſt per habendi aviditatem inexhauſtam, utut aliàs etiam ſumatur pro commoditate, qvam qvis præ aliis conſeqvitur, vel adjumento qvod habet aliqvis præ aliis; Item ſuperiore parte ac meliore conditione, reſpiciendo ſcil. ad verbum πλεονεκτέω, plus habeo, ampliorem partem ſeu portionem poſſideo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

LX. Et hinc poſteriorum verborum ſenſum ita vertit Vatablus: Avaritiæ meæ non prætexui Euangelium, qvaſi illud propter ſe non qværerem, ſed occultè illud dirigerem ad avaritiam meam, ut ex Euangelio illam implerem, meq́; locupletarem.

LXI. Provocat autem Paulus ad propriam Theſſalonicenſium notitiam, qvod non locutus fuerit illis placentia, ſeu non aſſentatus illis fuerit, qvum hâc de re luculenter ipſi teſtes, tanqvam auriti, eſſe poſſent: Qvod verò privatum commodum ſubdolè non ſpectaverit, teſtem invocat Deum, qvum ea res intentionis ſit animi, proindeq́; hominibus ignota.

LXII. Et hæc duo vitia, Aſſentatio ſcil. & Aviditas habendi, ſolent ut plurimum comitari eos, qvi hominum favorem aucupantur: Tales enim palpum faciunt etiam manifeſtis peccatoribus, ut ventri ſuo velificentur, qvum veritas odium pariat, aſſentatio verò amicitiam.

LXIII. Ab hiſce ergo duobus vitiis diligenter ſibi cavebunt ſinceri verbi Dei Miniſtri, utpote qvæ ſacrum ordinem inprimis dehoneſtant.

LXIV. Adulationis enim & aſſentationis vitium in Doctoribus & Paſtoribus Eccleſiarum planè exitioſum eſt, qvum efficiat, ut ad hominum peccata conniveant, & probent non probanda, improbent verò, in gratiam aliorum, dum ad nutum Præpotentum, vulgiq́; placitum ſe componunt, probanda & laudanda, reddentes ſe, vel ſuo etiam ſilentio, alienorum peccatorum participes, ac amittentes favorem Dei, dum hominum gratiam affectare ſtudent, ſicut id legere eſt Ezech. 3, 18.

LXV. Sic Achabo Regi adulabantur Prophetæ ipſius 1. Reg. 22. v. 6. 12. 13. Sic Jeremiæ temporibus Sacerdotes & falſi Prophetæ ſerviliter admodum blandiebantur Regi & populo, reclamantes concionibus Jeremiæ, qvibus Babylonica ſervitus & Judææ vaſtitas denunciabatur, promit-

ten-

tentes viciſſim pacem ubi non pax, ſed bellum & deſolatio in Dei conſilio decreta erat Jer.6, 14. & 8.v.11. & 23.16.17, qvod etiam contigiſſe legimus Ezechielis temporibus Ezech 13.v.10. & 22.v 28. Similia adulationis exempla occurrunt etiam in Novo Teſtamento Matt.22.v.16. Marc.12. 14. Luc.20,21 Act 12.v.21.22.

LXVI. Tales verò Miniſtri veniunt Chriſto nomine ſalis infatuati Matt.5.v.13, & à Paulo Rom.16.v.18. pronunciantur non ſervire Domino ſed ſuo ventri: Qvos propterea Spiritus Sanctus graviſſimè reprehendit paſſim in monumentis ſacris, non ſine atrociſſimarum pœnarum comminatione Pſal.12.v.3.4. Prov.27,14. Ezech.13,18. &c.

LXVII. Avaritia porrò ut omnibus hominibus inviſa & exoſa eſſe debet, ſic inprimis verbi Dei miniſtris cane pejus & angve fugienda eſt, ne, dum avaritia illorum cor obſidet, ac undiqvaq; divitias congerere ſtudent, incidant in tentationem & laqveum, & cupiditates multas amentes & damnoſas, qvæ demergunt homines in exitium, & interitum, 1.Tim.6.v.9.10.

LXIIX. Et hinc inter reqviſita Presbyteri ponitur qvoq; hoc, ne ſit turpis lucri cupidus, ſed potiùs alienus ab omni avaritia 1.Tim.3 3. Qvum non poſſit qvis Deo ſimul ſervire & Mammonæ Mat.6,24, ac ſolicitudo hujus ſeculi cum fallacia divitiarum ſuffocet ſermonem Dei, ita ut fructus expers fiat Matt.13,22.

LXIX. Sed & pecuniæ ſtudium occæcat oculos multorum, nè videant qvæ reprehenſionem mereantur, qvod Dominus graviſſimè caſtigat in Prophetis illis qvi violabant Deum ob pugillum hordei & fruſtulum panis, occidentes ita animas qvæ non morerentur, & vivificantes animas qvæ non viverent Ezech.13.v.19. Unde Petrus Doctores Eccleſiarum hortatur, ne qvid turpis lucri cauſâ faciant, ſed omnia promptiſſimo animo 1.Epiſt 5.v.2.

LXX. Qvomodo verò Prophetæ olim de Avaritia Pſeudo Prophetarum, non ſine comminatione pœnæ tempora-

riæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

riæ ſimul & æternæ conqveſti ſint, legere eſt Eſa.57. v.3.20. Jerem.6.v.13. & 8.v.10. Ezech.22.25. & 34.23. Videantur exempla avaritiæ filiorum Eli 1.Sam.2,13. Sicut & Samuelis 1.Sam.8.v.3. Giezi, ſervi Elizæi 2.Reg.5.v.20. Qvilibet ergo verbi Dei miniſter ſuſpirans dicat cum Davide ex Pſal. 119, 36. Flecte, ô Deus, animam meam ad ſtatuta tua, neq; ſinas deflecti ad qvæſtum.

LXXI. Prohibet autem Apoſtolus non tantum πλεονεξίαν, qvum qvis nimis petax eſt, ſed & πρόφασιν τῆς πλεονεξίας, qvum ſtipendii tenuitas prætenditur, aut laborum & vigiliarum moleſtiæ, qvæ compenſatione qvâdam dignæ videntur, exaggerantur.

LXXII. Hiſce artibus, Monachi in Papatu viduarum domos devorârunt, hodieq; devorant, prætendentes precationes longas, miſſas & vigilias, ut animæ defunctorum ex purgatorio liberentur; imitati hoc in genere, qvibus in cœteris etiam ſimillimi ſunt, Pharisæos, qvos Chriſtus hoc nomine tanqvam hypocritas reprehendit Matth. 23. verſ.14.

LXXIII. Qvod ſi igitur fidis Paſtoribus ſuus labor non penſatur ab ingrato mundo, ſi non colligunt illi multas divitias, ſi uxoribus & liberis ſuis debitum potiùs qvàm facultates relinqvunt, ſolentur ſe, qvod mercedem aliqvando ſint accepturi à Domino 1. Cor.3.v.8. 1.Pet.5,2, & meminerint qvæſtum eſſe magnum, pietatem cum animo ſuâ ſorte contento 1.Tim.6,6.

LXXIV. Ad hæc, exemplo Pauli, manifeſtum eſt, licitum eſſe interdum rem ſeriam confirmare juramento. Qvanqvam enim juxta Chriſti præceptum Matt.5,38 Sermo noſter eſſe debeat, Eſt Eſt, Non Non: Facit tamen interdum obſtinacia hominum, interdum rei gravitas, ut jurejurando affirmandum ſit, qvod ſimplici aſſeveratione aſſenſum non obtinuiſſet.

LXXV. Sic Deus ipſe juramento nobis confirmavit promiſſiones gratiæ, qvæ rationi aliàs videbantur impoſſibi-

bi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

biles,ut hæredibus promiſſionum abundantius oſtenderet immobilitatem conſilii ſui Heb.6,17, & Chriſtus præcipua qvædam dicta ſua juramento obſignavit, veteri Hebræorum formulâ, Amen; qvæ etiam vox apud Johannem Euangeliſtam inprimis repetita occurrit; eſtq; interdum approbantis ut Num.5,22. Deut.27.v.15. Interdum optantis, ut 1.Reg.1, 36. Pſalm. 41.v.14. Interdum applicantis promiſſiones 1.Paral.16,36. Jerem.11,5. Interdum verò aſſeverantis ſeu jurantis ut Eſ.63,16. 2 Cor.1,20; Ut taceamus ſanctiſſimos Angelos Dan 12,7. & Apoc.10.v.6. Sanctosq; homines in Veteri Gen.14,22. & Cap 42,15. 2.Reg.20,3. & Novo Teſtamento Rom.1 v.9. & 9.1. 2.Cor 1,23. Philip.1,8 juraſſe.

LXXVI. Licitum ergo eſt in novo etiam Teſtamento jurare. ſed ſub triplici iſta cautione, qvam Jeremias Cap.4, v.2. hiſce verbis proponit: Jures Verè, id eſt, ſine fuco, fraude & ſimulatione; Ritè, id eſt, non temerario & præcipiti auſu, ſed in judicio, compulſus neceſſitate officii & mandato Magiſtratus cui ſubes; & Juſtè, id eſt, in rebus juſtis & licitis, & qvæ tales & tantæ ſunt, ut dignæ ſint qvæ juramento confirmentur.

LXXVII. Sed & in formula juramenti, qvâ utitur Paulus: Teſtis eſt mihi Deus Rom 1,9 Phil.1,8, vel teſtem invoco Deum in animam meam 2.Cor.1,23. Tria naturam juramenti exprimentia continentur; Φάσις ſeu aſſeveratio nuda rei, ἐκμαρτύριον ſeu teſtimonium nominis Divini fallere neſcii, & κατάρα ſeu execratio ſui ipſius aut vindictæ Divinæ exeqvutio, ſi jurans fallat.

LXXIIX. De tali autem juramento non loqvitur Chriſtus Matt.5,35, dum dicit: Ne juretis omninò, ad qvæ verba etiam reſpicit Jacobus Cap.3,12. Cum non venerat ille tollere ſed adimplere legem Moſis v.17, qvæ concedit imò imperat talia juramenta Deut.6,13: Sed ejus interdictum intelligendum eſt de omnibus illis juramentis, qvorum permiſſione Phariſæi ſeducebant populum, docentes licitum eſſe qvavis de cauſa jurare, & id qvidem per cœlum, terram,

Hie-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

Hieruſolymam, & qvamvis aliam creaturam : ſicut id ex contextu eſt manifeſtum.

LXXIX. Præter hæc duo vitia, Adulationem ſcil. & Avaritiam, removet porrò Apoſtolus, in ἄρσει ſpeciali, à ſuo ſuorumq; miniſterio, duo alia, nempe Ambitionem & Moroſitatem; & qvidem illam per inductionem partium v. 6. in talia prorumpens verba:

Verſ.6. Οὔτε ζητοῦντες ἐξ ἀνθρώπων δόξαν, οὔτε ἀφ' ὑμῶν, οὔτε ἀπ' ἄλλων.

LXXX. Ad parricipium ζητοῦντες, repetendum ex verſu præcedente verbum ἐγενήθημεν, hoc ſenſu, neq; fuimus qværentes, ſeu qvæſivimus; ἐξ ἀνθρώπων, verò idem eſt qvod ὑπ' ἀνθρώπων, vel ἀπ' ἀνθρώπων, qvâ voce Apoſtolus utitur in ſubjuncta diſtributione; ut ita ſenſus verborum ſit: non venati ſumus humanam commendationem, non captavimus auram popularem aut favorem hominum, nihil ad oſtentationem fecimus. Vide conſimilem proteſtationem Magiſtri Chriſti Joh, 5, 41.

LXXXI. Videtur autem hæc proteſtatio Pauli contraria eſſe facto, qvum mox in ſeqventibus glorietur, qvòd ipſis non fuerit oneri, qvod inſtar Nutricis eos foverit v. 7. Qvòd animam ſuam pro iis tradere voluerit v. 8. Qvòd eos non gravârit, qvòd ſanctè, juſtè & ſine qverela apud ipſos vixerit v. 9.

LXXXII. Verùm heîc attendendum Miniſtrum Eccleſiæ non aucupari debere gloriam apud homines, ita ut ab illis ob dona & labores ſuos laudari cupiat. Nihil enim habet à ſeipſo, neq; poteſt qvicqvam ſine aſſiſtente gratiâ Dei, cui omnis gloria ſoli debetur, juxta illud Pſalmiſtæ Pſ. 115. v. 1. non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Unde Chriſtus dicit diſcipulis ſuis Luc. 17. v. 10. Omnia cum feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus, nam qvod debuimus facere fecimus. Et hinc Apoſtolus infit Gal. 1, 10. Si hominibus placere vellem, Deo placere non poſ-

ſem:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

ſem: & 1. Cor. 4. v. 7. Qvid habes, homo qvod non accepiſti qvid gloriaris qvaſi non acceperis?

LXXXIII. Indecorum igitur eſt, dona & labores ſuos glorioſè inculcare aliis, propriasq́; decantare laudes, qvod ignominiam & contemptum citiùs parit, qvàm gloriam: Ob qvam etiam cauſam Chriſtus fatetur ſe non qværere gloriam ſuam, ſed honorari interim à Patre Joh. 8, 54.

LXXXIV. Qvi ergò gloriari vult, glorietur in Domino 1. Cor. 1, 31; hoc eſt, in vera animi humilitate agnoſcat ſe miniſtrum eſſe ad hoc munus divinum ex ſe minimè idoneum, ſed ex gratia Dei vocatum, ut annunciando Euangelium gloriam Dei & ſalutem aliorum promoveat.

LXXXV. Qvanqvam verò hæc ita ſe habeant, fieri tamen poteſt, ut qvis donorum & laborum ſuorum Præco eſſe cogatur, tum propter auditores ſuos, tum propter calumniatores.

LXXXVI. Propter auditores qvidem, ſi fortè illi doctorum ſuorum fuerint immemores, ac erga ipſos ingrati: tum enim modeſta commemoratio laborum fieri poteſt, ut agnoſcant illi qvanta Deus beneficia per fideles Miniſtros Eccleſiæ contulerit, & de Miniſtris ejus benè mereri ſtudeant, aliiq́; cognoſcant, videantq; qvaſi in ſpeculo, qvænam virtutes fideles animæ Paſtores deceant; qvô fine, qvaq́; intentione Apoſtolus heic ſuorum laborum qvendam catalogum inſtituit.

LXXXVII. Propter calumniatores verò, qvi famæ & exiſtimationi Doctorum multum detrahere, autoritatemq; illorum apud auditores imminuere laborant, ne ſcil. illi ob calumnias talium adverſariorum à Doctoribus ſuis absterreantur.

LXXXIIX. Vult enim Deus exiſtimationem ſuorum Miniſtrorum; contra lingvas virulentas eorum, qvi contemptu illorum ſibi famam qværunt, tueri; qvâ intentione Paulus 2. Cor. 5. v. 12, ſcribit, propter Pſeudo-Apoſtolos:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

non iterum commendamus nos vobis, ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis qvod dicatis adverſus eos, qvi in facie gloriantur, non in corde.

LXXXIX. Ubi duplicem facit Apoſtolus gloriationem, unam in facie, qvæ hypocritarum eſt, qvi ſui ipſius miratores ſunt, & Præcones ad alios, conſcientiâ interim ipſâ reclamante: alteram in corde, qvæ vera eſt gloriatio propriæ conſcientiæ, aliorumq; rectè ſentientium judicio reſpondens. Illâ gloriatione nemo verè piorum utitur, hâc verò in certis caſibus, ſicut modò explicatum, uti licet.

XC. Aliàs ambitio per ſe, auditoribus pariter & Doctoribus eſt perniciosa. Illos enim impedit ne credànt Joh. 5,44. Act.25.v.23. Hos verò evertit, qvum ille demum ſit verax, qvi non ſuam ſed mittentis ſe gloriam qværit, Joh.7, 18. Conferantur loca Rom.11.v.20. & 12:16. 1 Cor.4 v.6 & 5,2. & 8.v.1.2. & 13.v.4.2. Cor.12.v.7. Gal,5,26. & Cap.6. v.3. Col. 2. v.18.

XCI. Et hinc pernicioſa ambitio in Doctoribus Eccleſiæ peſtis eſt. Qvos enim hæc vexat, ii ſe ſuaq; dona admirantur, aliosq; contemnunt, volentes præ reliqvis emergere: In qvem finem etiam aliis inſidiantur, eorumq; famam rodunt, &, ut ipſi in admiratione ſint, nova cudunt dogmata, novasq; à ſe excogitatas opiniones ſerunt, qvibus Eccleſiæ unitas miſerè ſcinditur, 2.Pet.2,18; qvalis faſtus non ex Patre ſed ex mundo eſt Joh.2,16.

XCII. Nominatur autem hoc vitium, à Bernhardo in Pſalmum nonageſimum, ſubtile malum: ſecretum virus: Peſtis occulta: doli artifex: mater hypocriſeos: Vitiorum origo: Livoris parens: criminum fomes: Virtutum ærugo: Tinea ſanctitatis: excœcatrix cordium: Ex remediis morbos creans: generans ex Medicina langvorem.

XCIII. Moroſitatem tandem qvod concernit, illam indicatam primò, & poſt amplificatam, ſimili deſumpto à Nutrice, removet Apoſtolus à ſuo ſuorumq; miniſterio tali verborum formulâ,

Ἐγενή-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

Δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι, ὡς Χριστοῦ Ἀπόστολοι ἀλλ' ἐγενή- *Verſ.7.*
θημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν, ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς
τέκνα.

XCIV. Heic variant Interpretes in diſtinctione verborum hujus verſus ſeptimi, dum nonnulli priora verba : δυνάμενοι ſcil. ἐν βάρει εἶναι, ὡς Χριστοῦ Ἀπόστολοι, referunt ad verſum antecedentem ſextum; ad verſum verò ſeqventem octavum contendunt illa pertinere verba: ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα, interſerentes particulam καὶ, qvam etiam Ellipſin ſupplet Syrus Interpres ; ut taceamus nonnullas editiones Græcas pro ἤπιοι legere νήπιοι.

XCV. Qvi priorem ſeqvuntur diſtinctionem, vertunt τὸ βάρος per autoritatem, honorem ſeu gravitatem Apoſtolicæ præſtantiæ & dignitatis, ita ut ἐν βάρει εἶναι ſit dictum, ut dicitur ἐν τιμῇ εἶναι, hoc ſenſu: Non qvæſivimus gloriam à vobis, cum poſſemus in honore & autoritate eſſe apud vos tanqvam Apoſtoli Chriſti. Et hæc ſignificatio vocis βάρος Metaphorica eſt, qvum Viris honore & autoritate præſtantibus gravitas Metaphoricè ſoleat adſcribi.

XCVI. Qvi poſteriorem amplectuntur diſtinctionem per τὸ βάρος intelligunt onus, qvæ etiam propria hujus vocis eſt ſignificatio, explicantes hunc verſum per ſeqventem nonum, ubi ſermo Apoſtolo eſt de onere ſuſtentationis: ad qvam ſententiam confirmandam facit etiam locus 2. Cor. 11, 9. Et hac ratione ſenſus verborum hic erit: qvum vobis oneri & moleſti eſſe poſſemus, ac ut Chriſti Apoſtoli alimenta à vobis petere, hoc non fecimus, ſed magnâ cum lenitate inter vos viximus, & inſtar Nutricis vos tanqvam liberos noſtros tractavimus.

XCVII. Alii contendunt, vi vocis Syriacæ, cum qva convenit Hebræa radix כָּבֵד qvæ & honorare & onerare ſignificat, utramq; ſignificationem heic locum habere poſſe, ita ut utrumq; heic oſtendat Apoſtolus; qvòd ſc. qvanqvam graviter & pro autoritate Apoſtolica, tanqvam Apoſtolus

Chriſti ab ipſis tam honorem qvàm ſumptum exigere potuiſſet, qvum utrumq; jure naturæ pariter & Divino, præſtare teneantur Catechumeni & diſcipuli ſuis magiſtris, Apoſtolis & Proceribus è qvibus docentur & inſtituuntur juxta dicta 2. Tim 5, 17. Matth. 10. v. 10. & 40. Luc. 10, 16. 1. Cor 9. v. 4. ſeq. ſpontè tamen de jure ſuo ceſſiſſe, nec gloriam ab iis nec victum qværens, ſed labore manuum ſuarum ſibi ipſi de neceſſariis alimentis proſpexiſſe; adeoq; gratis ipſis ſuam locaſſe operam, ac propterea eos inſtar Matris, qvæ gratis nutrit proprium ſuum infantulum, tractaſſe.

XCIIX. Et hinc Heinſius, nec illis qvi τὸ βάρος ad gravitatem Apoſtolicæ præſtantiæ, aut dignitatem, nec his qvi ad ſumptus Eccleſiarum id referunt, aſſentiri vult, ſed ſtatuit manifeſtè heic opponi τὸ ἐν βάρει εἶναι, καὶ ἤπιον γενέσθαι, hoc ſenſu: Cum ſeveritatem Apoſtolicam exercere poſſemus; lenes fuimus, mites & manſveti, nec aliter vobiſcum egimus qvàm nutrices cum alumnis ſuis, qvos fovent tenerrimè; eò ferè modo, qvo, ἐν ῥάβδῳ ἐλθεῖν καὶ ἐν ἀγάπῃ, πνεύματί τε πρᾳότητος 1. Cor. 4, 21. Apoſtolus opponit.

CXIX. Varietas autem lectionis νήπιοι ſcil. qvæ in paucioribus Græcis exemplaribus, ex antiqvis ſcholiis & margine in textum irrepſiſſe videtur, & ſignificat parvulos, qvâ voce utitur vetus Interpres, & ἤπιοι, qvæ in plerisq; Editionibus Græcis occurrit, ſignificans blandos, mites, lenes, ſvaves, placidos & qvietos, in ſenſu parum aut nihil mutare videtur.

C. Utraq; enim lectio eodem redit, qvaſi diceret: Non fui ſeverus Magiſter & exactor tam honoris qvàm ſumptus, mihi pro mea prædicatione debiti, ſed factus ſum vobiſcum qvaſi parvulus, comis, blandus imò qvaſi Nutrix aut Mater, qvæ cum infantulo ſuo balbutit & colludit.

CI. Alii verò ſtatuunt argutiâ alicujus pro ἤπιοι ſubſtitutum eſſe νήπιοι, qvia ſcilicet Nutricis & Liberorum tenerorum, qvos illa fovet, heic fiat mentio: qvi tamen conſide-

rare

rare debuiſſet Paulum cum ſuis ſociis, non infantium, qvibus comparantur Theſſalonicenſes, ſed Nutricis perſonam in hac ſimilitudine ſuſtinere.

CII. Per Nutricem autem talem intelligit Apoſtolus non conductitiam, qvæ qvanqvam ſubinde benignior & mollior eſſe qvam mater ipſa deprehendatur, negligit tamen non rarò infantem ſibi commiſſum. Sed talem qvæ liberorum eſt Mater, unde dicit etiam eam ſuos liberos fovere.

CIII. Sicut autem Mater ex στοργῇ maternâ ſuum infantulum diligit tenerrimè, blandiſſimè fovet & amplectitur, calore ſuo fulcit, pectori apponit, eundemq; lactat & nutrit, in ulnis portat, & omninò cavet, nè qvid adverſi ei accidat, nihil omnium prætermittens, qvæ ad exqviſitam curam & educationem infantuli pertinere videantur; adeò qvidem ut neq; tam vile, neq; tam ſordidum qvicqvam ſit, qvod nutrix mater infantis cauſâ non ſubeat, ad qvas tamen moleſtias devorandas nulla ſpe lucri, ſed materno tantùm affectu ducitur: Ita docet Apoſtolus ſe & Collegas pariter erga Theſſalonicenſes, recens per Evangelium à ſe genitos, ſeu regenitos 1 Cor. 4. v. 15. fuiſſe affectos, omniq; ſtudio, curâ & ſolicitudine hoc unum egiſſe, nè qvid iis objiceretur, qvô offenſi abalienari ab Euangelica doctrina ſemel recepta poſſent, nullam iis ulla in re creantes moleſtiam, nulloſq; ſubterfugientes labores, nulla pericula, ut ipſis ſemper benè eſſet.

CIV. Cavendus autem heic hujus loci abuſus, nè cum Pontificiis opera ſupererogationis hinc aſtruamus. Etſi enim Apoſtolus juri ſuo renunciavit in Euangelio gratis docendo, ſi homines præſertim ſpectemus, qvibus officium hoc impendit; Si tamen ad Deum reſpicimus, nih omninò feciſſe deprehenditur, qvod prorſus indebitum

fue-

fuerit, cum ex circumſtantiis appareat eò tempore & loco ſic fieri debuiſſe, neq; gloriam Dei & hominum ſalutem aliter promoveri potuiſſe.

CV. Notari igitur hic diligenter debet Regula : Multa per ſe & ſimpliciter indebita ſeu adiaphora eſſe, qvæ tamen propter ſpeciales cauſas ſæpè Deo vel proximo præſtari debent, qvas cauſas amor Dei & proximi (qvi nunqvam indebitus eſt, licèt intentiſſimus ſit) probè nos expendere jubet.

CVI. Sed nec ex eo qvod Paulus ſe, tanqvam Apoſtolum Chriſti, Theſſalonicenſibus oneri eſſe potuiſſe affirmat, confirmatur immoderata illa gravitas, cum Phariſaica arrogantia & autoritate qvam Pontificii Doctores & inprimis Jeſuvitæ hodiè in Cæſares, Reges & Principes exercent : qvum nullibi legamus Apoſtolos tali gravitate, ſed ſumma ſemper & ubiq; uſos fuiſſe moderatione, imò ſe etiam ad infima qvæq; ipſius Chriſti exemplo, ſubmiſiſſe. Aliter enim ipſis pro muneris ſui ratione qvæ poſtulabat, ut cuncta ad ædificationem Eccleſiæ referrent, facere non licuit.

CVII. Diſcant ergò Miniſtri verbi Dei à Magiſtro Chriſto Matth. 11. v. 29. & Diſcipulo fideli Paulo heic & paſſim alibi, placiditatem & manſvetudinem absq; moroſitate. Qvam etiam virtutem, ſub Timothei perſona, ab omnibus & ſingulis Paſtoribus reqvirit Apoſtolus 2. Tim. 2. v 24. 25. In talia ſolutus verba: Servum Domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum manſvetudine erudientem eos qvi obſiſtunt ; qvin ubi etiam objurgandi ſunt auditores, fiat id cum omni animi patientia & doctrina 2. Tim. 4. v. 2. qvo ex re ipſâ manifeſtè pateat, objurgationes illas non ex affectu carnali, aut cupiditate vindictæ proficiſci, ſed ex animo

mo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

mo gloriæ Dei & ſalutis auditorum ſitientiſſimo. Et hinc 1. Tim. 5, v. 1. 2. præcipit: Seniorem ne ſæviùs objurges, ſed adhortare ut Patrem, juniores ut Fratres, mulieres natu grandiores ut Matres, juniores ut Sorores cum omni caſtitate. Sic Moſes dicitur manſvetus fuiſſe præ omnibus hominibus qvi erant in ſuperficie terræ Num. 12. v. 3.

Talem manſvetudinem ingeneret omnibus ſuis ſinceris Miniſtris Deus Pater, propter Filium Jeſum Chriſtum, per Spiritum utriusq; ſanctiſſimum, cui individuæ Trinitati ſit gloria, laus & honor, in ſecula ſeculorum, Amen.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-312 4° 1557